

aut ad latera, atque hisce motibus esse immobilem, non prohiberi tamen, eam circa medium circumvolui. Neque illa valentior est ratio, quoniam partes eius aliquæ, sursum vi projectæ, ad eundem redeunt locum, ideo eam non circumvolui. Nam sicuti, et ipse, et astronomi autumant, firmamentum motu raptus, inferiores cœlos secum trahere, et non solum cœlos, verum etiam ignis sphæraram, et supremam æris regionem, eadem rationis vi, dici poterit, terram circumvolui, et aquam, a se vectam, et æris infimam regionem, intra montium cacumina comprehensam, secum circum vehere. Atque ideo projecta illa eum ærem non excedere, et cum eo circumvolui, et ad eum recidere locum. Ridicula autem illa est argumentatio, qua contendit impossibile esse, a medio, aut extra medium, et partes eius, et eam totam ferri. Neque enim id, quisquam aut asseruit umquam, aut nunc asserit. Quam vero ab Astrologis affert rationem gravitatis, eam totam, et partes ad centrum niti. Esto verum, non tamen id prohibet eam circulo etiam, circa centrum moveri eundem. Astronomi recentiores quidam, asserunt, est terram circulo moveretur, nubes, et aves, contrario motu cernerentur ferri. Quæ sequella ridicula videtur. Aves enim pro libitu, quaqua versum volant, et ærem seu stabilem, seu circumlatum, seu ventorum vi agitatum, findunt, et nulla æris vi rapiuntur. Nubes vero, vel immotæ stant loco eodem cum ære circum vectæ, vel moventur ventis, quoquot, et e quibus horizontis, aut aliis stent partibus. Et is idem æt, abeis diverberatus potest cum terræ vertigine circumvehi. Metuunt deinde, ne eo motu, ædificia ruant, et eos obruant. Qui timor, vanus equidem est. Quoniam ut sunt gravia, iis locis ubi sunt firmata, quasi terræ partes, et cum ea fere substantiæ eiusdem, ad centrum, et ipsa nituntur. Cur etiam ædificiorum timent ruinam, hoc tam lento motu? Et non timent, ne in frusta frangatur cœlum, motu tam impossibilis celeritatis? Addunt. Motus hic terræ in circuitum, ei præter naturam est, cum alium, in rectum, et deorsum habeat naturalem, corporis autem simplicis, unus tantum est simplex motus simplex autem corpus terram est. Sed simplex corpus esse terram, inveterata quadam, et vana, et falsa opinione sumunt tantum, non tamen probant, neque probare possunt, et dum probasse sibi credunt, sensibus carent omnibus. Omnibus enim sensibus repugnat, et suis præterea positionibus, afferere terram corpus simplex esse. Nam quod simplex est, non nisi unum est; nullas habet partes, ex quibus componatur, terram autem, frigidam, et sicciam ponunt, necesse autem est, alteram harum qualitatem a proprietate essentiæ, longe alia, venire, quam veniat altera. E duabus ergo essentiis terram componunt. Si componunt, simplicitatem ei prorsus admunt. Sensibus autem omnibus hæc simplicitatis positio repugnat. Quoniam in terra, tot colores, tot sapores, tot odores, tot sonitus, tot durities, tot mollitudines, raritates, densitates, et tot qualitates, quas vocant secundas in se contineat. Tot item terrarum genera, tot fluores, tot lapides, tot metalla, atque metallica. Summa mentis amentia, ac summa sensuum carentia est, affirmare, et ad clamores usque contendere, corpus simplex esse, quod sit, tot essentialibus, totque accidentalibus differentiis compositum. Ruit ergo hoc a simplicitate terræ argumentum, non posse eam duobus moveri motibus, nixu ad centrum, et circulari. Et quando detur, eam corpus esse simplex, dicetur, eam circulo naturaliter moveri, non minus quam ipsi contendant, cœlos, ignem, ærem supremum, circulo moveri, quæ corpora simplicia esse etiam contendunt. Et axioma est Ptolemæi, corpora simplicia, suis sita locis, vel circulo moveri, vel quiescere, hoc terræ tribuens, illud cæteris. Sed ideo infertur, si terram incircitum moveatur, eam vel non quiescere, vel duobus moveri motibus. Omnibus enim partibus, suo loco positis, quiescit, quæ nunquam per se inde locum mutant, tota vero rotatur, et hoc unico movetur motu, quoniam nixus partium ad centrum non est motus; non enim hinc, illuc mutat terminos. Sed loco suo positæ, in eo permanent, ut in eo serventur. Nam rectus ad medium, neque toti terræ est naturalis, neque partium eius, naturali sitarum loco. At inferunt amplius, si super axem alium, ab universu axe moveretur terram, non eosdem semper circulos, circa mundi polos facerent urbes. Sed hac ratione, concludunt nihil. Nam si regolatissimo ab occasu in ortum afferatur ferti motu, nullum aut impossibile, aut absurdum consequitur, ad firmamenti phænomena, iisdem servatis, tum in ipso, tum in